

Meditationum Ad Pandectas Sacras Specimen Nonum, De Usu S. Scripturæ In Jurisprudentia

Rostochi[i]: typis Nicolai Schwiegerovii, [1730]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002314860>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 2.Aug.1730

Mantzel, Ern. Joh. Frid. /f

73

9

MEDITATIONUM
 AD
 PANDECTAS SACRAS
 SPECIMEN NONUM,
 DE USU
S. SCRIPTURÆ
 IN
**JURISPRU-
 DENTIA,**
 QUOD SUB UMBONE ALTISSIMI,
 ET CONSENTIENTE SPLENDIDO JURIS-CONSULTORUM
 ORDINE,
 IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,
 IN SERIE SOLENNITATUM
 JUBILÆARUM,
 PRÆSIDE
DN. ERN. JOH. FRID.

Schanzel,

PHIL. & JUR. UTR. DOCT. ATQUE INSTIT. PROF. ORDIN.
 FRATRE SUO GERMANO

H. L. Q. C.
 ANNO MDCCXXX. d. II. AUG.

1730

DEFENDET
CHRIST. ANTON. MANTZEL,
 Jur. Stud.

RostochI, typis Nicolai Schwiegerovii, Ampliff. Senat. Typogr.

9

VIRO
PLURIMUM REVERENDO, ATQUE
RELIGIOSISSIMO,
DOMINO
CASPARO MAN-
TZEL,

Ecclesiæ, quæ Deo colligitur Jor-
densdorffii, Pastori per multos
annos meritissimo,

Parenti suo ad cineres usque Filiali cultu
sancte colendo,

hanc dissertationem

consecrare

debuerunt

Filii

PRÆSES & RESPONDENS.

DISSERTATIO NONA.

Meditatio I.

Marc. XV, 43.

Ultimo supplicio extinctos quilibet sepelire potuit Jure Romano, exceptis Criminis læsæ Majestatis Reñ.

L. Ult. ff. de Cadaverib. Punir. expresse disponitur: Corpora Animadversorum quibuslibet petentibus ad sepulturam danda sunt. Et quamvis in eo textu excepti non sint puniti ob crimen perduellionis, tamen illud colligere licuit ex textu l. 5. S. 2. C. ad L. Jul. Majest. Denique jubemus etiam eos notabiles esse sine venia, qui pro talibus unquam apud nos intervenire tentaverint. Intervenire enim nunquam fuit licitum, Ergo ob tot hujus criminis singularia, quod nec nude conscios innocentes esse patitur, volui hoc excipere. Illustrare etiam valde hanc meditationem puto sacram historiam de pietate Josephi Arimathensis, præsertim si attenderimus verba Evangelistæ der wägete es, si enim circa Salvatorem nihil fuisset singulare, Josephus Jure Romano, tunc ibidem jam recepto, & Pilato Romano præsi omnino cognito, plane factum permittente hoc petatum fecisset, nec illud wagen debuisset. Quia autem Corpus delicti quod Salvatori affingebatur Crimen erat perduellionis, id quod ex toto Processu patet, præsertimque ex vocibus Er hat das Bold abwendig gemacht • • thust du das, so bist du des Kayfers Freund nicht • • wir haben gedacht daß dieser Verführer sprach • • ut & ex inscriptione Crucis, Conf. LUTH. Tom 1. Isleb. f. 462. f. a. qui sententiam exprimit: Diweil er Jesus sich auffgeworffen vor einen König der Juden, und damit wieder Kayserliche Majestät gehandelt als ein Widerlägiger und Auführer Kayserliche Hoheit und Kron beleidiget, so urtheile ich Pilatus • • omnino non erat sine gravi periculo corpus Salvatoris sibi expetere ad sepeliendum. Haud igitur vulgare fuit officium, haud vulgaris Josephi pietas. Si autem quæsierit aliquis, an Pilatus potuerit Christi corpus concedere humanum? Reponimus, eundem cor-

A

pus

pus delicti semper extenuasse, imo potissimum accessisse instantis festi solennia, quæ tali spectaculo dehonestari non debebant.

Meditatio II.

Luc. II, I.

Imperator Romanus non est mundi Dominus.

Gloriosa est locutio: Daß alle Welt geschähet würde. Fastuosum videtur, quod in Prooemio Institutionum, Justinianus scribere jusserit: *Omnia populi Legibus tam a nobis promulgata quam compositis reguntur*; Splendidum est in l. 9. ff. ad L. Rhod. de Fact. quod Antoninus Imperator respondeat: *Ego mundi Dominus*, sed salva ubique res est; Intelligenda enim hæc omnia sunt synecdochice, ita ut per univcrsum orbem, mundum & omnes populos intelligatur mundi major, potior & illustrior pars. Sic etiam accipi potest respectivè & comparative juxta alias minores Resp. arg. l. 156. ff. de V. S. Denique & per orbem intelligi potest orbis Romanus, quatenus Imperatori paruit atque subjectus fuit, in quo sensu Jus omnium Gentium considerare solemus, §. 2. l. de J. N. G. & Civ. Illustrabunt hanc causam ea, quæ supra ad Ezechielem & Danielelem circa Monarchias scripsimus, solebant enim populi suo seculo illustriores affectare minimum Universalem Dominationem. Frequentissime insuper in Principium editis est, folgen hiemit jedermänniglich zu wissen * * * wir befehlen Jedermann * * * & hæc se referunt ad Titulum Principis, ita ut in terminis habilibus sint explicanda, ne in cavillationes & verborum captationes incidamus.

Meditatio III.

Luc. II, 1. sq.

Census ab Augusto per orbem actus, multam meretur meditationem, illustrantem quæ non omnibus aque clara sunt.

Census in Resp. Romana sub Regibus, in statu populari & sub Imperatoribus semper, ast vario modo fuit actus Conf.
i. r. f.

t. t. ff. de Censib. & t. t. C. de Censib. & Censu. Augustus qui primus Lege Regia acceperat summum imperium, è re Imperii esse ducebat, Censuram universalem instituere, quo fieret æstimatio atque descriptio singulorum civium, ad accipiendam notitiam numeri, ætatis, conditionis, ordinis &c. Legatur penes *Cic. Libr. 3. de Legib.* officii Censoris exacta descriptio. Non ut tributum aliquod darent statim & ipso hoc actu, sed ut constaret Imperantibus de majestate & viribus Regni, ad futuras, re ita ferente, præstationes exigendas. Vid. omnino *l. 4. pr. ff. de Censibus & Conf. B. LYNCKERI diss. de Catastris von Steuer-Anschlägen Cap. 1.* Nihil enim magis salutare est Principi & communi bono, quam nosse hominum copias, proventus, divitias &c. Hinc scribitur in Textu: *Das alle Welt geschäset wurde = = daß er Joseph, sich schäsen liesse = =* Vid. *Hug. GROT. Annot. in Nov. Test. ad h. l. & WALTH. Harmon. S. Scr. hic.* Quia igitur sceptrum a Juda erat sublatum, Christo præsentem, Romanus Imperator indicebat censum. Non autem contradictorium est, Herodem adhuc regnasse, & Imperatorem censum adornasse, nihil enim tunc Augustus exigebat, sed tantum in vires sui Imperii inquirebat, id quod etiam in terris Vasallorum & tributariorum facere ipsi integrum erat. *Conf. GROT. d. l.* *CruX* Interpretum autem adhuc erit consideranda, quo nos ex principiis politicis atque Historiarum documentis illos inde liberemus. Testantur Annales tempore nativitatis Christi Præfectum Syriæ fuisse Sentium Saturninum, unde antinomia quasi cum Luca oritur; Sed evictum dari potest, Cyrenium s. Quirinum, (solebant enim hæc nomina promiscua habere) fuisse Legatum Augusti extraordinarium ad hunc censum, indeque ab illo, cui ad hunc actum subordinatus Saturninus, factam esse denominationem & historicam seriem. Ut taceamus, etiamsi Lucas cum Tacito non possit conciliari, tamen Lucæ fidem esse præferendam. Datur etiam alia adhuc conciliandi ratio, dicentium nimirum, jam ante Cyrenio sive Quirino Præsidente coeptam atque de-

cretam fuisse hanc descriptionem, ast sub Saturnino demum ob intercedentes turbas & difficultates absolutam. Quæri adhuc solet: Quomodo prima hæc dici possit Descriptio, cum tamen aliæ jam ante fuerint? Placet inter alias resolutiones ea, quæ primam hanc appellat ratione formæ & modi, erat enim singulariter universalis & accurata, indeque planè extraordinaria.

Meditatio IV.

Luc. III, 1.

Explicandus omnino titulus Tetrarchæ ex Jure Publico Reip. Romanæ.

Sunt qui Tetrarcham fuisse gubernatorem quartæ cujusdam partis existimant, sed displicet hæc opinio aliis rectius sentientibus. Melius igitur placent nobis, qui statuunt, Tetrarchatum fuisse quartum dignitatis gradum & characterem Personarum illustrium atque regentium; An autem præcise ordo ita determinandus, ut primus fuerit Imperator, secundus Proconsul s. Præses Provinciæ, tertius Rex, & quartus Tetrarcha, non adeo sollicitè indagabimus, sufficit enim, omnem connexionem id velle, quod Tetrarcha Herodes cum aliis similibus fuerit Princeps vinculo quasi feudali a Romanis Imperatoribus dependens, & sicuti adhuc in Jure Feudali & Clientelari dantur termini difficulter per se explicabiles, in acceptione autem dependentiam & nexum feudalitium significantes, non est ut ulterius scrupulosi eapropter detineamur. Conf. STRYK *Jur. Feud. Cap. 1. quest. 3.*

Meditatio V.

Luc. VI, 35.

Usuras accipere licet.

Addamus superioribus explicationem hujus dicti & parallelorum; Solent enim contra justitiam usurarum strenue urgere; Sed primo respondendum, totum textum non agere de usuris, sed de mutuo & commodato dandis rebus sine certitudine eam redditam accipiendi: Secundo, etiam si largi-

largiremur illum agere de usuris, tamen unius positio non est alterius exclusio, id est, urget Christus, non semper prae- cise esse ad lucrum respiciendum, sed opera interdum etiam charitatis esse expedienda. Si aliter textum explicare & regulam inde facere vellemus sine exceptione, in utroque la- tere inde proflueret absurdum. E. gr. Ergo juxta v. 32. Non sunt diligendi, qui nos diligunt; & v. 33. Non benefacien- dum illis, qui nobis benefaciunt. Sed sapientibus satis.

Meditatio VI.

Luc. X, 29.

Proximus nobis quilibet homo est.

Insignis nervus est in vocibus proximus & Nächster, quæ significant quemvis hominem; Tanta enim obligatio hominis erga hominem, ut sola humanitas die Menschlichkeit, quam observamus in alio, satis sit argumenti convincentis ad necessitatem officiorum præstandorum. Intuentes nos omnes creaturas, ubique observamus dissimilitudinem, & quamvis quædam detur analogia, tamen proximius accedit nos alius homo; hinc in Historia Creationis legitur, vor den Men- schen ward keines funden, donec crearetur Eva, qua visa ex- clamabat Adam, das ist Bein von meinen Beinen, man wird sie Männin heißen. Excipiebat aliquando lepidum caput, Ergo so wäre der Affe wohl des Menschen Nächster auch, sed respon- debatur, der Affe wäre freylich der Menschen Nächster, i. e. Es wäre kein Thier das denen Menschen an Aehnlichkeit so nahe käme, als der Affe, aber ein Mensch bliebe des andern Nächster. Urget hanc naturalem hominum æqualitatem & inde veni- entem obligationem ad officia absoluta inter alios valde B. PUFEND. Cap. Spec. Libr. I. de O. H. & C. utiturque demon- stratione desumpta ex germanico flosculo, Ich bin doch gleich, woll kein Hund, ich bin doch auch ein Mensch & & Et certe qui non ipsi bestię facti & bestialitate imbuti, convincuntur illa loquendi formula: Man muß doch gedencken, daß es auch ein Mensch ist. Deus qui omnia perfecta fecit, voluit nos omnes

ex uno Adamo & una Eva prognasci, ut arctioris vinculi semper vivamus memores, & ne expropter forte alios indigne tractemus, quia forte non esset de nostro stemmate & progenie. Occidebat aliquando miles Judæum, putans se non commisisse adeo turpe factum, dicens, Es rotere ja nur ein Jude, sed aliter pronunciabat Curia, manens in regula: Wer Menschen-Blut vergeußt

Meditatio VII.

Luc. XV, 11. seqq.

Filius ille patrimonium accepit per emancipationem.

Qui non ex Jure Romano didicit emancipationis modum atque rationem, non feliciter explicare potest hanc parabolam. Supponendum igitur, Jure illo emancipari solitos filios fuisse, ita ut acciperent pro facultatibus patris ratam suam portionem, nec tales filios ulterius habuisse Jus suittatis id est succedendi ab intestato. Filiifamilias enim qui in potestate patria manserant usque ad mortem patris habebant tantum jus succedendi salvum, & si filii emancipati consumserant vel decoxerant sua, nulla tamen ipsis dabatur portio, utut alimenta naturalia ex naturali vinculo nec perditissimo poterant plane denegari, *Vid. l. 4. ff. de Agn. & al. Lib. Coll. l. 5. Eod.* Merito igitur ægre tulit ille frater senior talem receptionis pompam, bene reputans jure non adeo permittente & in sui detrimentum illam fieri. Ita ex Jure illustranda erit hæc historia, quibus addi meretur quæstio: Quo affectu dicere potuerit filius: Vater gib mir das Erbe? Resp. Non affectu impetuoso, sed verbis in preces flexis, qualia etiam omnino tantum fuerunt ea filii quæstionis; Non enim Pater ad emancipandum cogi vel importunis sollicitationibus moveri poterat, §. *fin. l. quib. mod. Jus patr. pot.*

Meditatio VIII.

Luc. XXIII, 34.

Jure Romano Vestimenta ad mortem damnatorum, linquebantur supplicio ministerium dantibus.

Que

Quo Jure Salvatoris vestimenta divisionem recipientia divisa, & super tunicam inconsutilem sortis judicium adhibitum, illustrari omnino potest ex *l. 6. ff. de Bon. damnat.* Quæ enim infra quinque aureorum pretium erant, tribuebantur licitoribus, sive essent vestimenta, sive annuli, quæ vero excedebant illam summam ad justitiæ administrationem in alios asservabantur, vel in fiscum inferebantur. Est autem Lex admodum dubiæ explicationis, adeo ut etiam DD. nonnulli putent eandem enarrare tantum antea usu venientia, jam autem illa corrigere. Sed sufficit tempore crucifixionis Christi illum morem adhuc servatum fuisse,

Meditatio IX.

Joh. I.

Formula jurandi: Bey dem Worte der ewigen Wahrheit / sedem & fundamentum habet in principio Evangelii Johannis.

Notum satis est, olim tantum non omnia juramenta præstita fuisse positis digitorum prioribus articulis in verba initialia Evangelii sancti Johannis. Nemo qui non plane hospes est in Jure Publico, ignorat, sacratissimum nostrum Imperatorem auspicatorium juramentum præstantem, digitos imponere exemplari hujus Evangelii, nitide & aureis literis in antiquam veramque Papyrus scripto quod ipsum Exemplar ad Kleinodia Imperii numeratur & apud Aquis-granenses ceu hujus Kleinodii Tutelares, sanctè servatur & a Deputatis illius urbis ad solennitates inaugurationis, afferri solet: Nec est quem lateret, quemlibet Vasallum Imperii investendum itidem jurare super idem Evangelium in sinum Imperatoris positum, juramentum fidelitatis præstare. Inter Protestantes multo jam ex tempore cessavit hicce ritus, qui tamen retineri etiam potuisset, quia nullam spirat superstitionem, omnino enim juramentum in effectu adhuc præstatur bey dem Worte der ewigen Wahrheit, quod verbum hypostatium & Christus Salvator ceu unica æternæ salutis spes, cuius

que saluti renunciant pejerantes. Datur adhuc alia formula jurandi. So wahr mir Gott helfen soll, durch Jesum Christum quæ planè ejusdem est sensus atque virtutis: Imo alia, So wahr mir Gott helfen soll und sein heiliges Evangelium, circa quam lubet annotare, quod inter membranas hujus Academiæ antiquissimæ observare licuerit in una serie scriptos versiculos initiales omnium quatuor Evangelistarum, ita tamen, ut Johannæum primo positum sit loco & commaculatione & nigredine comprobans, quot quantique tot tantorumque virorum digiti olim illi fuerint impositi, quales reliquias digitorum etiam videre licet in Codice membranaceo Amplissimæ Facultatis Philosophicæ, ubi tamen principium Evangelii Johannis tantum expressum. Hæc sunt quæ hoc loco meditari placuit.

Meditatio X.

Joh. XVII, 22.

Qu. Qua fronte Christus alapa excipi potuerit ab apparitore.

Respondetur: Videri posset omnino hoc factum paradoxon, nam nos in Judiciis haud patimur ut illi homines secundarii vel interloquantur, vel facta talia audeant. Sed capiendum erit ex historia Judaica, quod in blasphemiiis quilibet ex Zelo, quem pium putabant, potuerit ita agere. Quia igitur blasphemum putabant summo Sacerdoti injuriam inferre. talis dabatur licentia, Conf. 1. Reg. XXII. v. 24. Act. XXIII, 2. Conf. Matth. XXVI, 67. ubi spuunt Salvatori in faciem. Nostra Judicia abhorrent talia; Vid. B. LUDOVICI in Criminal-Process, ubi graviter reprehendit earnificum atque licitorum mores pessimos, Inquisitos proprio motu duriter tractandi.

Medi-

Meditatio XI.

Joh. XIX, 31.

Qu. Cur Judæi neminem potuerint ultimo afficere supplicio.

Volunt nonnulli quidem, Judæos dissimulasse jus capite plectendi, quo Christus pœna infamiori crucis afficeretur: Volunt alii, Judæos pro tempore respondisse, se scilicet non posse ante festum diebus proximis profundere sanguinem humanum; Sed talia sapiunt ingenium hominum, qui rem acu tangere & ex veris principiis repetere ignorant. Adempta igitur erat potestas gladii Judæis jam illo tempore, ut probat *LIGTFOOT in Hor. Hebr.* ex multis Rabbinis & si qui sunt postea ab illis occisi, factum illud est in turba vel tumultu. Hinc in Actis Apostolicis omnes accusationes Apostolorum fiunt coram Præsidibus provinciarum. In Sacris relicta manserat hætenus directio penes Summos Sacerdotes, id quod eleganter patet ex modo procedendi adversus Jesum, nam Caiphas & Hannas quæstiones & articulos formant plane de capitibus religionis, vid. Marc. XIV, 58. de templo destruendo, v. 61. de statu, num sit Filius Dei, v. 64. de blasphemia; Cap. XV. vero, v. 2. Pilatus in politicis Judex, format articulum: *Bist du der Juden König conf. V. 9. & 12.* & ex hoc capite denique crucifigitur. Recte satis igitur habent rubricæ Capitum Matthæi XXVI. *Christus wird vor das geistliche Gericht geführet;* & Cap. XXVII. *Christi Leyden vor dem weltlichen Gerichte.*

Meditatio XII.

Joh. XIX, 19.

Causam Supplicii exprimere, Romanis Solenne fuit.

Non equidem nostro seculo adeo intrequens est, quod, præsertim illis qui ad dies & horas numellis vel aliis palis spectatum alligantur, Scheda affigatur ex qua legi potest factum tali pœna dignum. Juvabit autem nihilominus paucis ad hunc locum commentari ex Legibus & historia. Solebant

B

ita-

itaque Romani ut plurimum per præcones, interdum autem per schedulam significare causam supplicii, illudque, si per præconem fieret, appellare: *Superdicere* unde *superindictum*, Legatur *L. 13. §. ult. ff. de Jure jur.* ubi agitur de perjuri cujusdam poena, Verbis: Imperator - - rescriptit, fustibus eum castigandum dimittere, & ita ei *superdici*: προπετάς μή ἐμυθεῖ *i. petulanter ne jurato*. Evolvatur etiam *L. 16. C. Ex. quib. caus. infam. irrog.* ita habens: Fustibus cælum, cui per præconem ita dictum est, ἐτυχοφάνθησας *i. calumniatus es* - - Possent etiam ex historia plura afferri exempla, nisi putaremus, leges prævalere exemplis. Morem itaque plane Romanum Pilatus servare voluit, insuper hac vice Linguis tribus in territoriis Romanis dominantibus usus; Cur autem noluerit ad preces Judæorum mutare scripturam non mera fuit obstinata voluntas, sed primo, insolitum non erat, per ironiam puniendos ita appellare, uti semetipsos falso gesserant; Recordamur nos in Livii vasto opere legisse exemplum, quod vir ob molliem hostibus cedens punitus sit sub formula: *Lictor, viro forti adde virgas*. Imo nec nobis talis ironia adeo infrequens est. Secundo autem id notandum, quod, ut testatur Apulejus, *Proconsulis tabella semel lecta neque augeri litera una neque minui poterat*. Id quod gravitati officii adscribendum, quæ in *t. t. ff. de Offic. Procons.* ut & in illis qui agunt de aliis Officialibus emphatice satis inculcatur, vid. e. gr. *l. 19. de Offic. Præsid.* Recte igitur Pilatus: Was ich geschrieben habe, das habe ich geschrieben.

Meditatio XIII

*Electio Ministrorum ecclesie caute & prudenter est
adornanda, facienda.*

Apostoli sibi relictæ, nulliusque directorio subordinati, forti rem committunt, non sine numine, post preces præsertim, illam futuram sperantes, credentes. Successu temporis tales electiones varia habuerunt fata, nec ubivis eadem fuit eligendi ratio, unde postquam curiositati satisfecit Historicus conferens diversos mores, Jctus dicere habet, hodie

die Electionem Ministrorum esse Juris Publici, & quaestiones de Jure Patronatus & reliquas esse decidendas vel ex Legibus fundamentalibus, vel aliis Privilegiis & pactis specialioribus, ut & multa ex parte ex observantia & consuetudine. Non igitur hoc loco in universalibus occupati erimus quae tamen largiter dedit *III. BOHMER. Jur. Eccl. Libr. I. Tit. VI.* sed tantum monebimus, morem illum, quod cives ecclesiae possessionati vel alii etiam, in plurimis locis per vota virilia concurrunt, ex pia primitivae ecclesiae consuetudine originem duxisse, ita enim solebant agere, quia destituti erant Capite seculari usque ad Constantinum Magnum, & quia Ecclesiastici Praefecti volebant talia private & citra concursum & conspirantia vota expedire. Fiat igitur adhuc hodie electio Sacerdotum more antiquo, sine tamen multa opinione divinitatis, major enim est dexteritas Patronorum, qui sub gratia Dei tales nominandos habebunt Candidatos, quorum quilibet satis aptus ad officium de quo est quaestio. Populi ministerium & partes tali ratione erunt non aliae quam sortis vel pueri illius, quem adhibere solemus ad distribuendas vel extrahendas schedulas. Fiat itaque iterum pro Juris Publici & morum cujusvis Regionis, Urbis, imo parochiae & pagi, talis electio, quamvis illam ita non fieri, variae velint rationes, quas colligere non patitur pagina. Sed specialius forte satisfaciendum textibus Juris Canonici, qui sortes ab electione Clericorum exulare volunt, quales sunt praesertim *C. 2. & 4. C. 26. qu. 2. it. c. f. X. de Sortileg.* Verum facile ad stramineas illas rationes responderi potest, confunduntur enim ubique sortes divinatoriae & dubiorum decisoriae. Suspicaturque non sine fundamento *Dr. BOHMER, Jur. Eccl. Lib. I. Tit. VI. §. 57.* eapropter ita dispositum fuisse, ut certius promoveri possent, quos suis status rationibus aptiores judicabant. *Conf. Med. Sup. Sors est ultimum refugium;* Cum qua concordat *SPENERUS Consil. Germ. Tom. ult. P. I. p. 406.* Das Loß, scribens, ist nicht woll in andern Fällen zugebrauchen, als wo auff eine menschliche Urth sonst nicht einige Gewisheit erlanget werden kan.

Meditatio XIV.

Act. II, 44. sqq. IV, 32. sqq. V, 1. sqq.

Communio bonorum in primitiva prima ecclesia recepta, est inimitabilis.

Quomodo Communio bonorum positiva fuerit ex pacto expresso & tacito stabilita, testantur Apostolorum acta, & quia ecclesia ut ecclesia non poterat possidere Immobilia, dum Collegiis illicitis, quorsum illa hactenus referenda, id non licebat, per l. 8. C. de heredib. instit. vendebat quilibet agros numeratamque pecuniam conferebat, id quod Ananias & Saphira comprobant. Et constat, demum sub Constantino M. per l. 1. C. de SS. Eccles. licentiam primam bona immobilia capiendi ecclesiae esse concessam. Quam fuerit pia intentio, mox videri potest, quamdiu autem illam servaverint, annis praecise determinare integrum non est, ac quamvis nonnulli, inter quos est Sarpinus de beneficiis, scribant, quod per 200. annos morem istum retinuerint, tamen illud de omnibus ecclesiis verum non esse constat, hinc in rubrica appellare lubuit ecclesiam primitivam primam, quia verebatur, ne illud praedicatum justo latius acciperetur. Quamprimum enim Inspectorum amor sibi aliquid habendi crevit, & primitiva prima pietas tepida facta, insimulque cessavit miraculosa in tergiversantes animadversio, qualem sentiebant Ananias & Saphira, cessavit pedetentim talis communio. Salvae tamen semper manserunt res sacrae & ecclesiasticae ad sustentationem Presbyterorum, ad sublevationem pauperum & alios pios usus, in quem finem quaelibet ecclesia distincta habebat aetaria. Et in tali statu adhuc nos consistere, testatur notoria veritas. Nec optanda vel speranda erit haec communio generalis. Conf. S. Rev. Doct. WEIDNERI diff. pererudita de Communionem bonorum ad dicta nostra meditationi supposita. De communiione bonorum etiam politica aliquando consilia privatorum fuerunt suppeditata, sed iusus ingeniorum illa dixisse sufficit, non enim, rebus sic stantibus, illa erit introducenda, ob tot obstantes evidentes difficultates, & praesertim ob affectuum humanorum pessimam conditionem, qui

qui secus sentiunt, Pietisticam produnt phantasiam. Possu-
mus post hæc omnia lubenter admittere pias aliorum medi-
tationes, quod nempe eapropter utilis fuerit alienatio im-
mobiliū, ne averterentur pii persecutionibus, & ut o-
mnia sua secum portare Apostolosque sequi possent.

Meditatio XV.

Act. IV. 19. v. 29.

Deo magis obediendum quam hominibus.

Regula hæc sua radiat luce, quod quantæque autem
fieri solent limitationes, quæstiones & observationes, no-
stræ meditationes in suis cancellis haud capiunt. Evolvantur
GROTIUS & *PUFEND.* cum aliis, qui quatenus manda-
tum impium expediri possit suis locis docent. Legantur eti-
am scripta tantorum virorum, qui nihil huc spectans volue-
runt præterire. Sunt autem illa *Perill. Dn. de KLEIN* *disf. de*
inobedientia impuni, hab. Rost. 1700. *B. BECMANNI* *disf. de*
Exuperantia obsequii Frf. 1679. *B. L. B. De LYNCKER* *disf. de*
Resistentia qua fit potestati, Fes 1694. *EJUSD.* *disf. de Mandato*
Rei turpis, ib. 1699. Sufficiunt hi, qui tristem a facie sua haud
dimittent Lectorem specialia investigantem. Consulendi
etiam Conscientiarii & Moralistæ Theologi atque Philosophi,
quorum tamen nonnulli hominem obligant ultra conditio-
nem hominis. Legatur denique semper cum sale scribens
Dn. de ROHR, qui in *der Ceremonial - Wissenschaft* taxat pas-
sim mores illorum, quorum impium est dixerim. *Herren*
Dienst geht sike Gottes Dienst.

Meditatio XVI.

Act. VIII, 18. 199.

Simonia Crimen est.

Testantur illud tot Canones et præsertim *Apost. 18,* &
hic Canon connectit Historiam Pauli cum Mago Simone ha-
bitam cum prohibitionem, verbis ultimis: *abscinditor quemad-*
modum Simon Magus a me Petro. Conspirat ceu sedes uberior,
t. t. X. de Simonia & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur vel pro-
missa.

mittatur, idemque cornu inflat Imperator l. 31. C. de Episc. & Cler. Satis recte se habent omnia in universali, nundinationes enim officiorum, præsertim sacrorum, valde essent turpes, sed in specialibus meretur indaginem, an Simonis Magi factum tale fuerit, ut huic crimini denominationem facere potuerit. Ad quod dubium respondemus breviter: Factum Simonis in genere tale quidem quid erat, sed non in specie. Audiamus alium & quidem Dn. ECKHARD. ad Schilt. Libr. I. Tit. 14. §. 23. Es bestund Simonis Verbrechen darin, daß da er sahe, daß diejenigen den H. Geist empfangen, welchen die Apostel die Hände auflegten, er Ihnen Geld angebotten, und gesagt: Gebet mir auch = = Es ist also dieses Verbrechen Simonis gar sehr von der unzulässigen Erlauffung eines geistl. Ammts = = unterschieden; Den Simon verlangte kein geistl. Beneficium, sondern er verlangte die Gabe, anderen durch auflegung der Hände den H. Geist mittheilen zu können. Inzwischen kommt doch eine dergleichen nundinatio mit einem officio sacro darin mit diesem facto Simonis überein, daß auch in diesem facto eine Sache verkauft oder gekauft wird, welche extra commercium ist, und welche nicht ob interventum pecuniæ sondern ob merita & doctes animi zugeben und anzunehmen ist. Quæ insuper huc spectant, quoad varias Simonix species quoad etiam Papæorum arcana subinde latentia, & huc scribere non expedit, præsertim quia scripta recentissima volitant per manus eruditorum, e. gr. PERTSCHII Tr. spec. JÆGERI diss. Tubing. de Simonia Curia Papalis THOM. ad Lancellott. Lib. IV. tit. 3. BOÏMER Diss. de Involucris Simonia detectis. AMTHOR. diss. de Crimine Simonia ejusque larva politica. Legatur etiam solidissima diss. B. FECHTII de Ambitu officii ecclesiastici hab. Rost. 1702.

Meditatio XVII.

Actorum XIV. 23.

*Ecclesia primitiva per tria priora secula sibi fuit relicta
& a Principibus derelicta.*

Non tantum erat derelicta ecclesia a Principibus, sed illi in super eandem graviter persequebantur, id quod omni caret

ret dubio; Difficulter veritates Christianæ aulis se insinua-
 bant, quamdiu enim ipsi summi Principes Christiani nominis
 hostes erant, nemo aulicorum & officialium audebat illi no-
 men suum dare, quod ipsum exemplo Felicis, Agrippæ &
 aliorum in Actis comprobatur. Hinc quia nil sine aliquo or-
 dine stare potest, ecclesia semet ipsam dirigebat, constituendo
 Seniores & alios qualescunque Inspectores atque Directores,
 conniventibus in illud factum nonnullis Imperatoribus, qui-
 bus tamen alii succedebant persecutores atque Tyranni,
 quos iterum alii excipiebant gratiosiores atque indulgentio-
 res. Tam inconstans incertaque fuit fortuna ecclesiæ primæ,
 donec Constantinus M. Christianismum amplectens, libe-
 riori aura illam frui permetteret. Hæc veritas est historica,
 unde sequitur ceu pragmaticum hocce: Quod ecclesia pu-
 taverit se non subjacere posse vel debere potestati civili, &
 quia Constantinus hætenus receptas dirigendi formulas non
 corripuit, nec satis in illas imperii sibi arrogabat, quod
 tamen fieri debuisset ob jus circa sacra ipsi de jure compe-
 tens, putabant in ecclesia constituti Episcopi & Inspectores,
 statuebantque, ecclesiam plane distinctam a republica civili
 rempublicam esse debere, unde postmodum omnis illa opinio
 Monarchiæ Papalis fuit enata, cum tamen sobrium magis
 atque evidens sit ecclesiam esse societatem & collegium lici-
 tum in Republica, & consequenter quoad externam directi-
 onem Majestatibus Principum subordinatam.

Meditatio XVII.

Act. XV.

Concilia, Synodos & Colloquia adornare, expedit.

Communis est doctrina, in hoc capite descriptum con-
 ventum primum fuisse Concilium, quod Hierosolymitanum
 appellare solemus; Sed qui accuratius omnia intuentur in-
 veniunt equidem aliquam Synodorum generalem ideam, sed
 proprie illum conventum fuisse ordinariam tantum Christiano-
 rum coitionem, quales coitiones sæpe fieri solebant, quoties ni-
 mirum de rebus dubiis erat deliberandum, vel aliquid saluber-
 rimum

rimum statuendum, & testantur hæc ipsa Acta in cap I. & VI.
 quod jam ante huic Hierosolymitano conventui similes fuerint
 habiti. Vera itaque origo Conciliorum atque Synodorum hoc
 loco tantum in prima apparet sciagraphia, quæ postmodum
 ordinatius fuit exculpta. Ita enim res sese habebat, quod ex pacto
 mutuo in amicabile iudicium consenserant & quasi compromi-
 serant singularum ecclesiarum cives, quale compromissum ul-
 terius agnoscebant plures & inter se vicinæ ecclesiæ junctim
 postea convenientes. Et hunc morem servavit ecclesia, adeo ut
 inde enatæ sint distinctiones Conciliorum in provincialia, nati-
 onalia & universalia, dicebantur enim illa Oecumenica, ad quæ
 totius Imperii Romani Episcopi convocabantur. Hæc iterum
 sunt historica, positionem Juris Publici stabilientia: Concilia
 &c. adornare expedit, adornet autem illa præter Princi-
 pem nemo: Nam qui secus sentiunt iterum Principes
 altero privant brachio, occasionemque faciunt coitio-
 num & congressuum in Republica periculosorum. Oc-
 casiones & themata talium conventuum debent esse causæ
 ecclesiasticæ, & quidem vel primariæ, quæ credenda, vel secun-
 dariæ, quæ agenda concernunt. Quoties igitur nostri Principes
 convocanda eorum quædam esse existimaverint, toties sancte
 agunt, si publicam & solennem adnaverint deliberationem,
 & conclusa Synodalia suo sub sacro nomine publicaverint. Te-
 stantur hanc Principum prudentiam in nostra Megapoli va-
 ria exempla proximorum etiam ad nos temporum. Et credimus
 hodie omnia esse tam bene, tam solenniter, tamque feliciter
 disposita inter nos, ut Concilia & Synodi nec sint optandæ
 nec sperandæ. Illustres sunt versiculi hujus Cap. Act. 6. & 24.
 Die Apostel und Aeltesten kamen zusammen diese Rede (von dem
 Gesetze Mose) zu besehen: Dieweil wir gehöret haben, daß etliche
 von den unsern sind ausgegangen, und haben euch mit Lehren irre ge-
 macht, und eure Seelen zerrüttet. „ hat es uns gut gedaucht, 2c.
 Primarius enim Synodorum finis omnino esset examinare no-
 va dogmata, die Rede zu besehen; Sed notanter dicimus esset,
 nam non putamus novas adhuc desiderari veritates sacras, un-
 de non aliter attenti sumus ad novas opiniones, quam ut
 illas exterminemus.

Domino Respondenti,
FRATRI

Suo humanissimo, oculissimo, acclamat feliciter!
PRÆSES.

OMnis nostra vita perpetua est meditatio, & qui felicitatem hujus & futuræ vitæ proscopo habet, ille semper meditatur in veritatibus divinis atque humanis. Considerantes providentiam summi Creatoris, quæ nos a teneris ungviculis hunc in diem usque conservavit, meditatur ad pandectas omnipotentiae & gratiæ divinæ, quæ omnia comprehendit in suo majestatico FIAT, quæ omnia tenet atque continet sub alis suæ misericordiæ & sub palma suæ clementiæ. Ambulantibus per varios casus perque tot discrimina rerum, Deus tamen otia aliquando facit, ut recubemus sub tegmine patulæ & pandectalis suæ benignitatis, protegit enim nos ipse Deus in suo tentorio inter tempestates fortunæ foedas, absconditque nos in umbraculo suo. Meditemur igitur ad pandectas sacras, & simus illi, super quos exclamat divinus Psalter: Wohl dem! Psalmo primo, ubi meditantem talem describit, daß er Lust habe zum Geseß des Herrn, und rede von seinem Geseße Tag und Nacht. Nos uterque *Humanissime Frater!* videbatur olim meditaturi ad pandectas sacras in Cathedra ecclesiastica, sed Deus aliter disposuit; Ego laudo ipsius providentiam, nam meditabor & nunc ad illas Pandectas, nec puto meas meditationes inutiles esse futuras, quas habeo ad Pandectas Juris humani. Faxit Deus, ut & te nunquam poeniteat viam quam nunc elegisti, ambulasse. Et quia bis hanc viam elegisti, eo concitatus & accuratius illam ambula atque tene. Vale & quæ Deo dirigente nancisceris, orna. Dab. d. 31. Aug. 1730.

Du Juristen gute Christen, trotz dem Sprichwort, zu benennen,
Siebest Du mein Werther Mangel! heute satßsam zu erkennen,
Denn du richtest nach der Viebel die Geseße flüglich ein,
Und wirst noch dereinst in beyden, wie ich wünsch, Doctor seyn.
Mit diesen geringen Zeilen, wolte den Herrn *Respondentem*
zur *Catheder* begleiten

T. E. STEVER, *Opponens.*

Wohl dem, der so wie Du dem Fleisse sich ergibt!
Wohl dem, den so wie Dich ein grosser Bruder liebt!

EN

Er liebt Dich, weil er sieht, daß Du Ihm ähnlich bist,
Und auch die Wege gehst, die Er gegangen ist.
Du wandelst ja bereits den weiten Weg der Ehren,
Und wirst gewiß darauff durch Dein Exempel lehren,
Wie allen, die wie Du, sich fleißig auffgeführt,
Gar bald der Doctor-Hut die freye Scheitel ziert.

Hiermit wolte gegen den Herrn *Respondenten* als seinen
Hochgeschätzten Freund und Gönner, seine Er-
gebenheit einiger Massen bezeugen

C. G. Thalmeyer / Zittav. *Lufatus.*
J. S.

Du foderst, Werther Freund! ich soll dir opponiren,
Da dein geschickter Fuß des Pindus Thron besteigt:
Wollan ich will es thun, du wirst mich überführen,
Wie Deinem scharffen Witz mein blödes Wissen weicht.
Gewiß wo Finsterniß, wo Nacht und Schatten stehen,
Da wird ein heittrer Blick am besten angebracht;
Dann scheint ein Adler sich am stärcksten zu erhöhen;
Wenn ihm die schwache Taub den Vorzug streitig macht.
Ich wünsch dir Glück, mein Freund, die Hoffnung kan nicht trügen,
Daß man Dich ehestens im Doctor-Hut erblickt,
Dein unermüldter Fleiß muß ja mit Rechte siegen,
Wenn selbst die Themis dich an ihre Brüste drückt.


Hiermit wolte den Herrn *Respondenten* als seinen aufrichtigen Gönner
und Freund, zur *Catheder* begleiten, dessen ergebenster


A. HINRICHSSEN, *Oppon.*


Der Mantel stellet sich der edlen Musen-Schaar
Heut als ein Meister-Stück zu Seinem Ruhme dar;
Wer die *Catheder* will mit solcher Ehr bestiegen,
Der muß sich warlich so, wie Er wird thun, bezeigen.
Und da Er Wehrter Freund! zum Zeugen mich ersuchen,
Muß ich, wie sichs gebührt, Ihm zu Gebothe stehen.
Der Himmel schencke Ihm stets Segen, Glück und Heil,
Ich nehme ganz gewiß hieran den größten Theil.

Mit diesen wenigen Zeilen wolte dem Herrn *Respondenti*
seine Ergebenheit zeigen

A. EMMEN, *Stada-Bremensis,*
J. V. Stud. Opp.







the scale towards document

Domino Respondenti,
FRATRI

nisissimo, oculissimo, acclamat feliciter!
PRÆSES.

tra vita perpetua est meditatio, & qvi felicitatem
utura vitæ pro scopo habet, ille semper medita-
ritatibus divinis atque humanis. Considerantes
ami Creatoris, quæ nos a teneris ungviculis hunc
servavit, meditamur ad pandectas omnipotentia
væ omnia comprehendit in suo majestatico FIAT,
tque continet sub alis suæ misericordiæ & sub pal-
e. Ambulantibus per varios casus perque tot di-
eus tamen otia aliquando facit, ut recubemus sub
pandectalis suæ benignitatis, protegit enim nos
entorio inter tempestates fortunæ foedas, abscon-
traculo suo. Meditemur igitur ad pandectas sacras,
quos exclamat divinus Psalter: Wohl dem! Psal-
meditantem talem describit, daß er Lust habe zum
nd rede von seinem Gesetze Tag und Nacht. Nos uter-
rater! videbatur olim meditaturi ad pandectas
ecclesiastica, sed Deus aliter disposuit; Ego lau-
tiam, nam meditabor & nunc ad illas Pandectas,
meditationes inutiles esse futuras, qvas habeo ad
amani. Faxit Deus, ut & te nunquam poeniteat
legisti, ambulasse. Et quia bis hanc viam elegisti,
occuratus illam ambula atque tene. Vale & quæ
cisceris, orna. Dab. d. 31. Aug. 1730.

ute Christen, trotz dem Sprichwort, zu benennen,
mein Werther Mangel! heute sattfam zu erkennen,
nach der Viebel die Gesetze flüglich ein,
vereinst in beyden, wie ich wünsche, Doctor seyn.
Mit diesen geringen Zeilen, wolte den Herrn Respondentem
zur Catheder begleiten

T. E. STEVER, Opponens.

so wie DU dem Fleisse sich ergibt!
den so wie Dich ein grosser Bruder liebt!

EN